



LATIN NYELVŰ LAP A TANULÓ IFJÚSÁG SZÁMÁRA

Prodit Budapestini, I. Verpeléti-út 22. decies in anno.
Pretium praesolvendi annum 4 pengő 80 fillér.

Megjelenik Budapesten, I. Verpeléti-út 22. tízszer egy évben. Előfizetési ára évi 4 pengő 80 fillér.

CARMEN LUGUBRE.

O mitis Jesu, reparator¹ almus²
Tristis humani generis, precamur,
Hungaram gentem truculenta³ passam
Respice tandem.

Ante mille annos teneri manu nos
E tenebrosa regione mundi
Huc loci adductos placide fovisti⁴
Condere regnum.

Hoc tuum nobis dare, quasi dotem,
Ipse dignatus, tuitusque contra
Tartarum strages minitantem acerbas
Gentis et orae.

Et, Deo grates! fidei calore ac
Luce donatum celeri vigore
Floruit regnum viribus simulque
Prosperitate.⁵

Heu! Sed irruptit, veluti locustae⁶
Cuncta vastantes super arva, sic et
Turca nos atrox, fidei tenaces,
Obruit armis.

Obvii insontes sine quaue causa
Ense concidunt; pecus auferunt vi,
Igne consumunt segetes et urbes...
— Horrida imago —

Floridi regni! Populi vagi plus
Centies milleni, uti vile⁷ brutum,⁸
Venditi, ut servile iugum subirent,
Triste, nefandum.

Contra tam saevum tuebamur hostem
Patriam nostram fideique donum,
Iam prope excisum⁹ genus usque fortis
Per duo saecula.

Murus Europae fuit Hungarorum,
Atque munimen, generosa virtus,
Qua quies laeta ac bona sors eidem
Reddita tuta.

Occidens grates¹⁰ ita reddit:¹⁰ insons
Hungarum truncans¹¹ genus atque regnum
Frusta¹² crudelis tribuit voranda¹³
Hostibus eius.

Mente¹⁴ confusi¹⁴ fere prae dolore
Stragis¹⁵ immensa: genij¹⁶ feracis¹⁶
Gens nefando ausu tumulo¹⁷ dicata...¹⁷
Plangimur¹⁸ omnes.

¹új erőt adó ²kegyes ³zordon, sok viszontagság
⁴kegyel, segít ⁵siker, boldogulás ⁶sáska ⁷olcsó,
értéktelel ⁸jószág ⁹elpuszta, semmivé lett ¹⁰meg-
hálá, ¹¹megcsontkít ¹²darab ¹³elyel ¹⁴megzavarod-
dik ¹⁵csapás ¹⁶termékeny szellemű ¹⁷sírnak, halál-
nak szán ¹⁸keservünkben jajgatunk.

Per.
Lat
020



Hisce nunc crudis¹⁹ simul ac cruentis²⁰
Hostibus cincti gemimus precando
Supplices, Jesu pie, spesque certe
Unica nostra.

Tu potes solum relevare²¹ regna;
Unias²² nostrum genus atque regnum,
Ut reflorescant: miserere nostri
Corde benigno!

Michaël Tóth S. J.

¹⁹ érzéketlen, kegyetlen ²⁰ vérszomjas ²¹ ismét fel-
emel ²²egyesít.

De Olympia.

Scripsit Franciscus Mező dr. In Latinum convertit
Carolus Ács.


Iam aliquantum temporis antiquae Graeciae peragraveram terram, iam monumentorum, quae Athenis spectantur, magnificentia captus eram, iam admiratus eram Cretam et regis Minois fama nobilitatum labyrinthum, iam in¹ stuporem¹ me rapuerant¹ porta leonina ac adhuc inconpertum² et inextricatum³ Cyclopiae genus structurae atque mole rerum, quae oculis et sensibus in dies recentes obiiciebantur, obtorpueram,⁴ aestu fervidissimo iam elangueram,⁵ cum curru suapte vi acto ad Olympiam raptus corpus subito erexi⁶ animumque refeci.⁷ Verum enim vero nequaquam morabar neque nubem pulveris usquequaque exortam, neque currum me vehementissime quassantem: ne⁸ flocci⁸ quidem faciebam⁸ anfractus⁹ per praecipitia et praerupta ferentes. Defixus enim in contemplanda amoenitate ac viriditate locorum

identidem rimabar,¹⁰ qua invenirem flumen Alpheium, collem Saturni et subiacentem sacrum lucum, qui vix dimidium chiliometri efficit in quadrum, in quo plus mille annos spatium pulcherrimae cultus humani civilisque partis decursum est.

Atque Olympiorum origo repetenda est usque a temporibus, quae nebulis tenebrisque obruta iacent. Namque Graeci ingenii ubertas Olympiorum quoque originem fabularum pulcherrimarum et laetissimarum discolori varietate exornavit et distinxit.¹¹ Cave quae ras quid sit vero proprius: utrum Iuppiter honinum pater et deorum rex, an Hercules, masculi roboris illud specimen¹² considerit. Accedamus vero eorun sententiae, qui victoris Olympii nomen primum anno 776. litteris consignatum dicunt. Principio tredecim Olympiis ludis nisi cursu non certabatur, cursus certamen stadium appellatum est et in directo spatio 192·25 metra longo decurrebatur. At vero cum spectantes non acquiescerent,¹³ nova et longiora stadia currebantur. Anno a. Chr. natum 708. certaminum numero addita sunt luctatio¹⁴ atque pentathlon,¹⁵ quod ex cursu, saltu, disco, iaculatione et lucta¹⁴ constabat, viginti annis post etiam pugilatio¹⁶ accessit. Post autem instituta sunt equestrium varia certaminum genera atque in quibusdam certaminibus pueri quoque pro corona certabant. Olympiorum certaminum loco per omne tempus Iuppiter praesidebat atque ante certamina et post commisso certamine Iovi sacra fiebant. Primum Olympia ab iis ipsis, qui Olympia et circa incolebant, celebrabantur, sed

brevi fama Olympiorum eousque percrebuit, ut Graeci in dies frequentiores eo confluarent. Iam vero advenerunt insularum incolae, gentes longinquis simi Orientis et Africae, quae spectat ad septentriones et coloni Magnae Graeciae. Quo factum est, ut Olympia omnium Graecorum antiquorum dies festi fierent. (Ad proximum numerum.)

¹ ámulatba ejt ² ismeretlen ³ megoldhatatlan ⁴ elkábul ⁵ elbágyad ⁶ új erőt ad ⁷ felüdít ⁸ semmibe vesz ⁹ kanyarodók ¹⁰ fűrkész ¹¹ ékesít ¹² megtestesítő ¹³ megelégszik ¹⁴ birkózás ¹⁵ összetett verseny ¹⁶ ökölvívás.



MYTHOLOGICA

Hesione.

Post Iovem, regem Olympi magnum, deus potentissimus Neptunus erat, cui ipse deorum pater honores referebat. Cum tamen aliquando rixa inter eos coorta esset, Iuppiter Neptunum imperio privavit iussitque eum per unius anni spatium Laomedonti, regi Troiae servire et cum Apolline, pariter exsule moenia urbis Troiae inexpugnabilia exstrere.

Humanam formam indutus Neptunus Laomedontem adiit operamque suam conducta¹ mercede¹ locavit, qua sibi dengata dominator maris ira gravi commotus



trimonium dedit.

1 kikötött bér fejében 2 eláraszt 3 elnyel 4 dorong

Troiam et agros circumiacentes fluctibus obruit² monstrumque horrendum aequoreum in regnum misit, cui singulis annis virgo Troiana devoranda³ ex pacto dari debuit.

Aliquando sors Hesioni, filiae regis dilectissimae obtigit. Ad saxum deligata virgo trepida exspectabat mortem. Sed tunc apparuit Hercules, qui equis sibi a Laomedonte promissis non strum immane fuste⁴ percussit Hesionemque crudeli morte liberavit. Cui pacto cum Laomedon non stetisset, Hercules Ilium subvertit, regem occidit et Hesionem socio suo Telamoni in ma-

E. M.

Certamen¹ alaudarum.²

Alauda cristata³ obviam⁴ venit⁴ alaudae canorae,⁵ cuius pulcherrimo cantui⁶ invidebat⁷ et: «Tu, ait illi, non es tam pulchra, quam ego!»

«Cur?» — interrogat canora aviculam superbam.

«Quia non habes tam pulchram cristam,⁸ quam ego!»

«Tu autem non habes tam pulchrum canum,⁹ quam ego!»

«At crista mea semper videtur, cantus autem tuus solum te canente auditur, quam ob causam crista mea pluris⁹ est,⁹ quam cantus tuus...»

Alauda canora nihil amplius dixit, sed indignabunda¹⁰ ad reginam avium, ad aquilam se¹¹ contulit.¹¹

«Conquerendi¹² causa, inquit, veni ad te, regina iustissima! Fac¹³, quaeso, de nobis iudicium!»¹³ Simul, quid factum esset, aquila enarravit.

Regina avium alaudam cristatam confessim¹⁴ in ius vocavit, quae cum apparuisset, poenas¹⁵ luetis¹⁵, inquit eis aquila eliciendi¹⁶ veri causa. Te privabo¹⁷ crista tua eamque

1 versengés 2 pacsirta 3 búbos 4 találkozik 5 dalos 6 ének 7 irígyel 8 bóbítja 9 többet ér 10 méltatlankodik 11 meg 12 panasz émelek 13 tégy igazságot 14 legott 15 meglakol 16 kicsal 17 megfoszt.

Vulgus mille faucibus conclamat :

— Detur venia²³ Quinto Claudio ! Liberum eum dimitte, Caesar, da veniam Quinto Claudio !

Imperator luridus²⁴ corrugata²⁵ fronte in purpurea culcita²⁶ sedebat; Clodianus subridens aggressus aliquid in aurem ei insurrat,²⁷ Caesar contumax renuit.²⁸

— Date veniam Quinto et sponsae eius ! — fremit vulgus.

Clodianus iterum aliquid in aurem irati Caesaris insurrat. Tum praeco²⁹ silentium fieri iubet.

— Evidem — ait Domitianus — sum benevolus et misericors, sed nihil concedo, nisi ut reliquum certamen differatur.³⁰ Hodie satis est de ludo. Quintus colligat vires ad certamen, quod sequetur.

Magister ludorum damnatos abducit.

Domitia ex amphitheatro digressa in Palatium festinat et Stephanum arcessit.

— Probasne³¹ me, domina ? — quaerit libertinus.

— Tene probare ? Num tuo merito factum est, ut Quintus iniquo certamine superior³² fieret ?³³

— An putas, domina — ait Stephanus — Gaetulam feram uno pugionis ictu posse trucidari ? Pugio venenatus³³ erat.

— Heus ! Nunc iam teneo.³⁴

Eo temporis momento nuntius in cubiculum intrat.

— Stephanum quaero. Eccam³⁵ epistolam.

Qua perfecta Stephanus expalluit.

— Quid accidit ? — interrogat Domitia.

— Pessimum : magister enim ludorum suspicari coepit ; proditio mea patefiet.

Domitiae vultus exardescit.

— Itaque non solum pro Quinto liberando, sed etiam pro te ipso dimicare te oportet. Rem delibera et nava³⁶ operam.³⁶

²³ kegyelem ²⁴ halálsápadt ²⁵ összeráncoolt ²⁶ vánkos ²⁷ súg ²⁸ fejét rázza ²⁹ hírnök ³⁰ elhalaszt ³¹ meg van elégedve ³² győztes lesz ³³ mérgezett ³⁴ értem ³⁵ itt van, ime ³⁶ serényen dolgozik.

Integritas morum iuvenem facit esse decorum.

*

Taurum tollet, qui vitulum sustulerit.



Non est dubium, quin in arte aeronautica Itali eximium teneant locum. Quod novissime demonstravit Balbo, rerum¹ aeronauticarum¹ per Italiam praefectus,¹ qui machinarum comitante caterva Roma Bolamam, in oppidum Africæ, inde autem in Brasilium volavit, cuius litora apud urbem, portu nobilem, cui nomen Port-Natal est, attigit. E duodecim machinis decem feliciter in urbem pervenerunt, tantum duabus erat necesse se in mare demittere paulo post, quam Bolama subvolaverant. Quinque aeronautae, inter eos centurio valde celebratus, nomine Boer, vitam amiserunt.

¹ légiugi miniszter.

EXEMPLA CLARORUM VIRORUM

Alexander Magnus paterno regno non contentus expeditum exercitum traiicit in Asiam, ut eam occuparet. Cum ei civitas quaedam promitteret partem agrorum et dimidium rerum omnium, ille: «Non idcirco — inquit — veni in Asiam, ut id acciperem, quod dedissetis, sed ut id haberetis, quod reliquissim».

Alexander Severus, Romanorum imperator, in expeditionibus militarem cibum cunctis videntibus sumebat, omnia tentoria circumibat, neminem a signis abesse patiebatur. Si quis de via in alicuius agrum deflexerat : «Visne — inquiebat — in agro tuo fieri, quod alteri facis ?» Clamabatque saepius hanc sententiam, quam a Christianis audierat: «Quod tibi fieri non vis, alteri ne feceris». Hanc sententiam in domo sua et in publicis operibus inscribi iussit. (Lampridius.)

Dion Syracusis a Dionysio tyranno pulsus Megaram se contulerat. Ibi cum Theodorum, civium eorum principem domi convenire vellet, non intromissus est. Tuni comiti suo: «Patienter hoc — inquit — ferendum est. Nam fortasse nos, cum in dignitate essemus, tale aliquid fecimus». Hac animi tranquillitate exsilium placidius reddidit. (Valerius Maximus.)




Nuntius¹ actorum diurnorum,¹ quae vocantur Vossiana, Constantinopolitanus se in actis diurnis Turcicis legisse scribit virum doctum quendam Germanicum pro certo posuisse sarcophagum² porphyreticum, qui asservatur in area templi Sanctae Irenae, ubi nunc Musaeum Militare Turcorum est, Constantini Magni esse. Quis ille vir doctus sit diurnis Turcis licet non prodatur, tamen qua via et ratione sarcophagus repertus sit, letores non celantur. In Turcis enim actis narratur ex quadam sepulcri Constantini descriptione, quae quidem, ut videtur, adhuc in obscuru latuerit, patere³ Constantini sarcophagum cruce auro⁴ solida⁴ ornatum fuisse; atqui in sarcophago in Museo Militari collocato vestigia⁵ crucis⁵ impressa⁵ comparere,⁶ ipsam vero crucem iam dudum extinctam evanuisse.

Haec Turcicorum actorum narratio quamquam incerti atque arcani⁷ quiddam habere videtur, tamen facile fieri potest, ut vera⁸ esse probetur.⁸


Carolus Ács.

*

Secundus est iam annus, ex quo Collegium Sopianense Maurinum inauguratum⁹ est, ubi iuvenes studiosi iuris, medicinae et philosophiae, universitatem Sopianensem frequentantes aluntur et omnibus discendi adiutio-



Collegium Sopianense «Maurinum».



Sacellum collegii.

mentis¹⁰ subsidiisque¹⁰ adornantur, ut curis expediti¹¹ studia obire possint.

Cuno e comitibus Klebelsberg, summus rerum scholasticarum praefectus, qui vel maximum¹² dederat¹² operam,¹² ut hoc collegium constitueretur, adiutoribus episcopo Sopianensi: Francisco Virág et professore universitatis: Damiano Vargha propositum suum brevissimo temporis spatio peregit. Ita nunc parentes sine ullo animi angore¹³ filios in hoc collegium mittere possunt, quia ibi iuvenes religiose liberaliterque¹⁴ erudiuntur¹⁴ alunturque haud carentes¹⁵ suavitate¹⁶ commodisque¹⁷ domesticae¹⁸ vitae.

Ex picturis, quae adiunguntur altera collegium, altera autem sacellum eius ostendit.

*

Casu tristissimo afflita est navis Hungarica: «Tátra» iuxta insulam Graecam Seriphum in mari Myrtoo. Cylindrus¹⁹ quidam machinae²⁰ eius vi²⁰ vaporis²⁰ motae²⁰ incerta de causa diffissus²¹ est, neque ullo modo restitui potuit. Navem, ingenti tempestate actam nautae relinquere coacti lintribus se commiserunt. Sex nautae in fluctibus miserime perierunt, inter eos ipse praefectus navis: Josephus Vállay. Navem postea Graeca navis in portum Piraeum remulco²² traxit. (Seriphus Cycladum est insula inter Cyth-

¹ hírlaptudósító ² koporsó ³ nyilvánvaló ⁴ színarany ⁵ a kereszt nyomai ⁶ még megvan ⁷ titokztatosság ⁸ igaznak bizonyul ⁹ felavat ¹⁰ mindenféle segítőeszközökkel ¹¹ fölment ¹² leginkább rajta van ¹³ aggodalom ¹⁴ jó nevelésben részesül ¹⁵ nélkülöz ¹⁶ kellem ¹⁷ kényelem ¹⁸ családi ¹⁹ henger ²⁰ gözgép ²¹ megrepé ²² vontatókötél.



num Siphnumque sita, saxosa et sterilis, sed dives lapidis²³ magnetic²³ ferrariique,²⁴ qui ibi iam antiquissimis temporibus effodiebatur.)²⁵

Securitatis²⁶ publicae²⁶ custodes²⁶ Habanae, in insula Cuba magnum coniuratorum numerum comprehendenterunt, qui praefectum insulae: Machado, interficere sibi proposuerunt. Coniuratores omnibus armis instructi in ipso momento, cum ad²⁷ domum²⁷ praefecti tenderent,²⁷ ab excubitoribus²⁸ oppressi²⁹ atque exarmati³⁰ sunt.

*

Mors summi ducis Gallorum: Joffre, cuius Victoria apud Matronam³¹ fluvium maximi fuit momenti ad belli omnium gentium evenitum, ingenti luctu affecit Galliam. Iustis³² exsequiarum³² aderant legati omnium gentium populorumque, qui tempore belli sociate et foedere cum Gallis erant coniuncti. Ipse dies funeris honesti, qui fuit VII. a. Id. Ian., a curatoribus³³ rerum³³ publicarum³³ dies maestus³⁴ ac³⁴ lugubris³⁴ per totam Galliam declaratus est.

*

Ludovicus Geduly, ecclesiae evangelicae sacerdos, qui munere sacerdotii 43 annos fungebatur, aetatis suae anno 69. Novopestini vita cessit.

*

De antiqua Hungarorum historia scripsit librum C. A. Macartrey, Britannus, universitatis professor, qui sub titulo: «*Hungari saeculi noni*» Camboriti³⁵ novissime prodiit. Quo opere vir doctissimus originem Hungarorum historiamque peregrinationum illustrare³⁶ conatus est. Omnibus paene per voluntatis viorum doctissimorum operibus, quae Hungarice externisque linguis scripta inque³⁷ ea³⁷ re³⁷ versantia³⁷ adhuc prodierunt, item ex libris rerum scriptorum Graecorum Araborumque auctor quoque Hungaros e populis Finonum Ugrorumque ortos esse affirmat. — Maiores nostri — sicut ex opere elucet — olim circa montes³⁸ Hyperboreos³⁸ vivebant, unde ad meridiem peregrinati cum Alanis aliisque Scythicis cis Imaum incolentibus populis erant coniuncti.³⁹ Saeculo quinto septimoque consuetudinem cum Bulgaris habebant, postea autem etiam Slavos, Teutones Turcos-

que sibi assumebant. — Ex opere doctissimi professoris vel maxime appetat, quanto studio et favore Britanni res Hungaras observent.

²³ mágneskő ²⁴ vaskő ²⁵ bányász, fejt ²⁶ rendőrseg ²⁷ útban van ²⁸ ör ²⁹ meglep ³⁰ lefegyverez ³¹ Marne ³² temetési szertartás ³³ kormányférfiak ³⁴ gyásznap ³⁵ Cambridge ³⁶ megvívítani ³⁷ rá vonatkozik ³⁸ Ural hegység ³⁹ érintkezik.

VARIA

Fridericus Magnus, celeberrimus ille rex Borussorum in hortis suis quandam passeris magnam vim cerasorum¹ comesse animadvertisit. Rex passeris noxios putans abolendosque eos decernens militibus praecepit, ut omnes passeris in hortis caederent. Ita circiter decies centena milia passerum ibi eo anno a militibus necabantur. Sed quid evenit? Cerasi regis a scarabaeis,² erucis³ vermbusque⁴ ceteris brevi plane devastabantur. Rex errorem correcturus passeris iterum in hortos suos admittendos curavit.

*

Voltaire, illustrissimus ille *scriptor Gallicorum*, cum hospes Friderici Magni esset inque regia, quae Sans Souci nominatur, moraretur, quandam a rege invitatus est, ut secum navicula excurreret.⁵ Ubi scapham⁶ conscenderunt et Voltaire eam rimosam⁷ esse vidit, re valde perterritus in ripam resiluit. Rex quietus in loco remansit cavillansque⁸ scriptori dixit: «Adeo de vita tua angeris?» «Sane sollicitus sum, respondit ille, nam reges in terris ubique inveniuntur multi, sed unicus est Voltaire!»

Maria Genthon dr.

¹ cseresznye ² bogár ³ hernyó ⁴ féreg ⁵ kirándlul ⁶ csónak ⁷ repedéses ⁸ gúnyolódik.



Locosa.

Sub faeno...

Agricola vehiculum¹ faeno¹ oneratum¹ eversumque² in via publica conspicit. Iuxta vehiculum iuvenis plane consilii expers stat. «Veni mecum domum cenatum, ait illi agri-

¹ szénás székér ² felfordult.

